

CONCIO VI.

bantur lapidari. Derivat etiam pœnam in propriam familiam usque in tertiam et quartam generationem. Et nil crebrius, quam quod filii parentum flagitia luere coguntur. At quid enim monentur parentes sæpe, ut desistant a malis propositis, cum dicitur eis: Parcite liberis vestris?

Secundo, culpam etiam in eos derivando partim directe per consilium, jussionem, auxilium, etc. (non enim vult solus perire, sed socios sibi querit, et veneno suo alios quoque inficit: quemadmodum una ovis scabiosa totum inficit gregem) partim indirecte, per scandalum quod adeo grave damnum est, ut Dominus dicat, melius ei futurum, si appendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum. Hac ratione offendit etiam infideles et hæreticos, qui cum vident vel audiunt perversos Christianorum mores, ipsi in perfidia sua solidantur et a fide magis abhorrent, dicentes: Si tales sunt Christi discipuli, non dissimilis erit magister. Et idcirco propter eos blasphemant nomen Dei, ut testatur apostolus, ad Romanos, cap. II.

Tertio, alia damna inferendo, uti contumelias, probra, detractiones, oneribus opprimendo, verberibus mulcendo, vel omnino occidendo; propter quod sanguis eorum in cœlum clamat.

IX. Offendit etiam creaturas irrationalies. Primo, quia avertit eas a Deo creatore suo, ut serviant ejus hosti et proditori ad ipsius Dei injuriam. Vino utitur ad ebrietatem et luxuriam, gladio ad homicidium, opibus ad luxum, vestibus ad superbiam, ingenio et scientia ad spargendos et tuendos errores, hæreses excogitandas, dolos, injusticias, etc. propter quod omnis *creatura ingemiscit et parturit usque adhuc*: quia scilicet vanitati, id est, homini vano et peccatori, *subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam*, ut ait apostolus ad Rom. VIII.

Secundo, quia dissolvit harmoniam mundi: omnia enim serviunt Deo et ad nutum parent, præterquam homo, qui tamen principalis est rota totius horologii hujus mundi, quæ idcirco etiam reliquias impedit et ordinationem Dei pervertit, ita ut sæpe propter peccatores cœlum fiat aeneum nec pluia; modo aperiat cataractas ut pluere non desinat; ut ignis de cœlo cadens terram incendat, terra disrupta vel mons cadens malos obruat, venti domos et silvas sternant, aquæ et maria intumescant, hominesque demergant, bestie hominibus noceant, et quandoque in civitates irruant vel eas obsideant, etc. Hæc tota naturæ perversitas unde provenit nisi a peccatoribus, qui primi esse deberent in facienda Dei voluntate, modo autem rebelles sunt? Hinc Isa. VI. dicitur: *Erubesce Sidon, ait mare.*

Tertio, quia propter illum sæpe irrationalies etiam creature punitur. Quid commisere peccata et jumenta ut quandoque peste absumentur, segetes ut grandine feriantur, etc.? Homini punitur parentes sæpe, ut desistant a malis propositis, cum dicitur eis: Parcite liberis vestris?

X. Offendit etiam animas purgatorii, quia privat eas speratis et debitis sibi a nobis suffragiis, quibus refrigerari possent: quemadmodum enim vir præstans immoderate vivendo morbos sibi concilians, nocet liberis et familiæ totique reipublicæ; sic peccator nocet animabus parentum et fratum suorum, omniumque eorum, qui in purgatorio detinentur, quia reddit se inutilem ad juvandum illas.

XI. Offendit ipsos etiam damnatos. Primo, quia pœnam eis auget cum vel aliqua peccata committit, ad quæ sibi auctor fuit damnatus aliquis. Sic Lutherani pertinaciter in hæresi persistentes, quotidie adaugent Luthero suo poenam.

Secundo, quia quo magis crescit multitudo impiorum, eo magis etiam crescit supplicium eorum, maxime propinquorum, amicorum et complicum. Hanc enim causam vult esse Lyranus, cur epulo petierit mitti ad domos fratrum suorum, ne et ipsi in locum tormentorum suorum venirent: unde videlicet eorum societas acris torqueretur.

XII. Offendit seipsum et quidem omnium maxime, quia maxime sibi nocet. Ut enim viperam necant proprii fetos, sic peccata auctorem. Unde Ps. X. dicitur: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*: et angelus, Tob. XII. ait: *Qui faciunt iniquitatem et peccatum, hostes sunt animæ suæ*. Res crudelis est, sibi ipsi mortem inferre; crudelissima, necare animam propriam. Si enim omnes creature in te consurgerent, et quantum possunt, tibi nocerent, non tantum te offendere possent, quantum tu te ipse offendis, cum peccas. Imo nec Deus tantum tibi nocere potest; quia non aliud tibi malum inferre potest, quam malum pœnæ: hoc autem longe minus est peccato. Vere igitur S. Chrysostomus scribit, neminem laedi nisi a seipso: quoniam omne malum, quod extrinsecus advenit, sive ab hostibus, sive ab elementis, sive a Domino, homini cooperatur in bonum, si peccatum absit. Nam cum peccatum abest, Deus adest, et si Deus pro nobis, quis contra nos? ait apost. ad Rom. VIII. At cum quis animam gladio peccati perimit, simul omnia perdit bona, et incidit in foveam omnium malorum. O gladium acutum! Gladium prælongum! Pertingit enim usque ad cœlum, pertingit usque ad orcum, pertingit usque ad fines orbis.

Ex quibus patet, quam merito non angeli tantum vel prælati hodierni evangelii, sed et

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

omnes aliae creature dicant de peccatoribus ad Deum: *Vis inus et colligimus ea?* Sed licet hic non permittantur insurgere, simul saltem et semper in peccatorem, permittentur tamen aliquando, cum videlicet audient: *Alligate ea in fasciculos ad comburendum*. Ita enim Sapiens, c. V. testatur: *Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos*. Quemadmodum enim lupi et canes rabidi a tota communitate queruntur ad necem, quia omnes invadunt et rabido mordent; sic etiam in peccatores insurget aliquid totus orbis. *Vis igitur totum mundum non habere hostem?* Desine peccare.

CONCIO VII.

DOCUMENTA.

I. Somnolentia quam noxia. — II. Diaboli astutia. — III. Zelus justitiae discretus sit. — IV. Dei in cognoscendis malis perspicacia, in expectandis longanimitas, in tolerandis clementia. — V. Discrimen honorum et malorum.

THEMA.

Nonne bonum semen seminasti in agro tuo?

Matth. XIII.

Miramini forsitan, auditores, quod eamdem rem variis parabolis sepius nobis inculcat Dominus. Quod enim docet in hodierno evangelio, est, non omnes, qui in Ecclesia sunt, esse justos ac proinde cœli hæredes futuros, sed alios esse triticum, alios zizania: alios congregandos in horreum Dei, alios alligandos, ad comburendum in gehenna. At hoc idem docuit Dominus in parabola de piscibus bonis et malis in eadem sagena: in parabola de ovibus et hœdis in eodem grege: in parabola de sapientibus et fatuis virginibus in eodem nuptiarum comitatu: in parabola de bene et male vestitis in iisdem nuptiis. Ad quid ergo eamdem cantilenam toties nobis occinit? Nimurum, auditores, sciebat Dominus stultum illum et perniciosum errorem qui docet omnes esse justos, et quo sibi quisque imaginatur ac persuadet se in Dei gratia esse adeoque certo salvandum, nemo se damnandum putat, cordibus nostris amore proprio cœcatis pertinaciter infixum esse. Quem ut nobis eximat adeoque nos cum timore et tremore salutem nostram operari doceat, dicere vult hac parabola: Nemo sibi blandiatur, quod in Ecclesia Dei sit, quasi jam securus de salute. Sunt in eodem agro triticum et zizania, in eadem sagena boni et mali pisces, in eodem grege oves et hœdi,

in eodem comitatu prudentes et fatuæ virgines, in iisdem nuptiis bene et male vestiti. Priors a Deo colligentur, posteriores abjacentur. Deinde, agit nobiscum Dominus, sicut medicus cum ægrotis quibus idem medicamentum sub variis confectionibus propinat, tum ne ejus fastidium capiant, tum ut id quod per unam capere non possunt, capiant per aliam. Ergo, auditores, tametsi interdum eadem doctrina pluribus tropis et figuris vobis inculcatur, nolite ægre accipere, bonum semen verbi divini est, quod seminavit Christus, crebrius licet jactum, et quod ex ipso seminamus nos. Expandite agrum cordis vestri et excipite semen.

I. Discimus, quid mali causet negligentia et somnolentia hominum, maxime prelatorum, dum audiamus diabolum nonnisi dormientibus hominibus zizania sevisse. Somnus corporalis sæpe noxius fuit hominibus: Noen enim nudavit, Lothum incestu fœdavit, Sisaram terræ affixit, Madianitas hosti tradidit, Samsonem robore spoliavit et Philisthaeis illudendum præbuit, Holofernem capite truncavit, Tobiam stercore hirundinum cœcavit, etc. ut non leví de causa assuescere a teneris debeamus, priusquam imus cubitum, Deo nos commendare et angelo custodi; ne quid damni malignus hostis nobis dormientibus struere et inferre queat. Verum longe periculosior est somnus spiritualis cum in peccatis obdormimus et sine scrupulo vivimus; tunc enim malus ille sator, nihil non zizaniorum coribus nostris superseminare potest.

Maxime vero in prælatis et rectoribus perniciösus est hic somnus. His enim, qui vigiles esse debent, consopitis, quid non moliri in greges eorum malus genius potest? Quando Ninivæ post Jonæ prædicationem et suam pœnitentiam ad ingenium redierunt et in pristina sceleris relapsi sunt, obcessi sunt a Chaldeis. Durante obſidione rex et optimates confisi in muris et munitionibus suis, conviviis et symposiis vacarunt, ut scribit Diodorus Siculus, l. III. atque ita vino somnoque sepulti sunt. Interim Chaldei Niniven invaserunt et duces occiderunt, populum vero disperserunt. Hinc eorum regem alloquens Nahum, c. III. ait: *Dormitaverunt pastores tui rex Assur. Sepelientur principes tui*: (primo vino, deinde humo.) Septuaginta vertunt: *Consopivit rex fortis tuos*; quomodo scilicet Balthasar merc consopivit optimates suos, quos proinde Cyrus eadem nocte oppressit et occidit, Dan. V. Hoc idem certe nos superiore saeculo experti sumus cum adverteret diabolus non paucos Ecclesiæ antistites profundo otio et deliciis, quibus diuturna pax et per eam congestæ dvitiae mate-

riam suppeditabant, sepultos, illis insidiari cœpit, non secus ac carnivore aves præpingua animantia, quæ semianima jacere vident, ad escam sibi obliquis oculis designant: iis vero quæ per pascua currunt et exsulant, appropinquare non audent. Itaque illis consopitis et de suis gregibus nihil sollicitis, venit diabolus vel potius adduxit pessimum illum satorem Lutherum, qui doctrinæ suæ zizaniis Ecclesiæ agrum conspurcavit, et imprimis capita quædam et duces, deinde reliqua membra et populum non difficile in hæresin abripuit. Optimum quidem semen seminarent primo, in Germania Rupertus, Bonifacius, Wilibaldus, Burchardus, Corbinianus, Udalricus, Wolfgangus, etc. sed dormientibus postea pastoibus venit inimicus homo Lutherus, et superseminavit zizania. Inimicus crucis Christi, quamvis se abjecturum dixit, ubi a nemine conspici posset, ut alibi diximus. Inimicus indulgentiarum, contra quas debachatus est e publicis cancellis. Inimicus summi pontificis, quem omnibus calumniis et injuriis proscidit, et draconis, asini, dæmonis figura representavit. Inimicus ss. patrum, quos omnes præse contempsit dicens, non curare se mille Augustinos, non mille Cyprianos, non mille Ecclesias; indignos illos esse, qui calcei sui corrigiam solvant. Inimicus principum, quos appellabat carnifices, Jesu Christi interfectores, Herodes impios, intolerabiles tyrannos, Turcis multo peiores, lib. de sæcul. potest. contra Ambros. Cathar. Inimicus consiliorum evangelicorum, virtutum præsertim castitatis. Inimicus pœnitentiae et omnis mortificationis. Sed pergamus.

II. Discimus diaboli astutiam, qui de nocte, hoc est, clanculum et subdole venit, tentationes ingerens, cum quis securus et quietus degit. Ita Judic. XVIII. Danitæ cum venerunt in Lais quærere sibi regionem, miserunt exploratores, qui viderunt populum illum quiescentem et securum habitantem absque timore. Venerunt ergo sexcenti viri et percutserunt eum in ore gladii. Scribit Julius Frontinus, stratagem. I. II. c. XXV. ducem quendam Carthaginiensium Africanos sibi rebellantes hoc astu decepisse. Plura vini, cuius avidos scivit Africanos, dolia implevit et mandragora (herba soporifera) commiscuit fugiensque in castris suis reliquit. Insecuti mox Africani vinum in castris reperierunt, eoque largiter hausto se totos proluerunt, inde mox obdormierunt. Hoc explorato rediit dux cum suis et omnes in somno obturcavit. Quid aliud agit diabolus? Implet peccatores dulcedine peccati, ut in ea conquiescant securaque vivant, nihil de morte, nihil de iudicio, nihil de inferno solliciti;

tum adest repente et cum minime existimant, Deo permittente, eos corripit, necatque, vel in tam gravia scelera præcipitat, ut inde vix aut nunquam emergere queant.

Deinde, in medio tricti seminat, quia dæmon et hæreticus in disseminandis suis erroribus semper nititur super aliquo vero, ut super aliquo loco Scripturæ, qui in speciem favere videtur. Unde Iren. I. I. contra Valent. c. I. ait: « Ut facile et ex multitudine lapillorum pretiosorum, qui variis coloribus constant, efficeret imaginem regis, aut alteri compōsitis et contextis efficere imaginem vulpis; ita hæreticus sententias Scripturæ s. quæ imaginem veritatis reddunt, detortas et male intellectas ad repræsentandum effigiem falsitatis et erroris compōnere solet, ita ut videatur Scriptura assereret, quod nunquam asseruit. » Hoc astu decipit dæmon mediis prædicantibus pseudoevangelicis stultam Lutheranorum plebeculam, dum suas conciones ex meritis Scripturæ sententiis pessime applicatis contextum interimque clamant: Verbum Dei, verbum Dei purum et putum est hoc.

Tertio, non in silagine, hordeo aut avena, sed in tritico seminavit zizania; quia optimis quibusque maxime insidiatur dæmon; quale est triticum inter frumenta. Et hinc etiam Luc. XXII. expetivit apostolos *cribrare sicut triticum*, ut expendit ibi S. Hieron. quia cæteris meliores et perfectiores erant. Non enim valde expetivit Scribas et Phariseos cæterosve Judæos, quos utpote carnales facile superare poterat jamque pene devictos habuit. *Absorbebit fluvium*, inquit de eo Dominus, Job, c. XL. et non mirabitur, et habet fiduciam, quod *infusat Jordanis in os ejus*. Jordanis aquæ Christi tactu sanctificatæ, viros sanctos et spirituales repræsentant; cæteræ aquæ carnales homines, qui suopte pondere ad interitum ruunt. Audiamus D. Gregorium, lib. XXXIII. moral. cap. VII. « Antiquus hostis, inquit, hoc pro magno non habet, quod sub jure suæ tyrrannidis terrena quærentes tenet. Propheta quippe attestante cognovimus, quia esca ejus electa. Neque enim mirum putat si eos absorbeat, quos superbia erigit, avaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia angustat, ira inflamat, discordia separat, invidia exulcerat, luxuria inquinans necat. Absorbebit ergo fluvium et non mirabitur, quia pro magno non estimat, cum eos devorat, qui per ipsa vite sue studia deorsum currunt. Sed illas magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis jungi jam coelestibus contemplatur. » Quisquis ergo accedit ad servitum Dei, stet in justitia et præparet animam suam ad tentationem, uti monet Ecclesiasticus, c. II. quia illi

magis impinguantur, in quibus major est virtus.

Quarto denique, post jacta loliorum semina abiit, quia ita subdole nocet, ut qua ipse nobis intulit damna, aliis imputari a nobis velit, non ipsi. Hinc Jobum ad impatientiam et blasphemiam perfractu; induit personas nuntiorum, qui narrarent Jobo damna illata, u tvult S. Gregorius; neque sibi, sed Sabæis et Chaldaëis, igni cœlesti et turbini damna illa, velut auctoribus attribuit, Job I. ut ita canum instar, in lapidem, hoc est, in innoxios, infigamus dentes; ut inimicos nostros persecuamur, non dæmonem, qui eos, velut eques equos, instigavit ad nocendum, etc.

III. Discimus zelum justitiae ad tollendos noxiros, non qualecumque sed discretum. Etenim servi zizania deprehensa eradicare cupiverunt, non tamen propria auctoritate, sed cum Domini consilio et imperio. *Vis imus, inquiunt, et colligimus ea?* Cui etiam acquieverunt. Caruit hac zeli discretione Jonas, cum afflictus est propterea quod pepercerit Deus Ninivitis, nec perdidit eos iuxta prædictionem suam. Hinc enim sibi metuentes ne propheta vanus et mendax reputaretur, ridereturque ab hominibus, dolere magis propter honoris sui diminutionem, quam lætari propter honorem Dei, qui tunc agebatur, cœpit, Joan. IV. Non ita Michæas, c. II. qui cum certum exitium prædicteret impii, indoluit, eorumque salutem suo honori preferens dixit: *Utinam non essem vir habens spiritum (propheticum) et mendacium potius loquerer*; Hebr. *utinam essem vir vadens spiritu*, id est, mallem dici vir inanis et vertigine agitatus, quam videre eventum prædictionis mœ, exitium populi. Sed non ita Jonas, qui passione actus, uni suæ extimationi intentus erat, uti prodit illis verbis: *Numquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? Propter hæc præoccupavi ut fugerem in Tharsis; scio enim quia tu Deus clemens et misericors es*, etc. Ergo qui indiscreto zelo in viâ invehuntur, suam passionem produnt, et suum potius sensum et honorem, quam Dei voluntatem et honorem quærere convincuntur.

Deinde, nec privata ultione corripiendi peccatores, præsertim inimici: sed magistratu et Deo committenda est vindicta. Intellexit paterfamilias eradicanda zizania sine damno et evulsione tritici: ita etiam difficile est punire velle peccatum seu offensam, et simul amare et servare velle personam offendentem. Hoc prudentibus messoribus committendum vult paterfamilias, qui zizania a tritico separare norunt. Quis tam peritus jaculator est uti Helvetus ille Dellius, qui pomum in capite filii repositum jaculo tangere queat, sine noxa filii? Quis cristam galli gallinei, ipso prorsus illæso? Ita pariter velle plectere

offensam, nec tamen lædere offensorem nimis est difficile ei, qui offensus est.

IV. Discimus Dei clementiam et longanimitatem in tolerandis reprobis, neconon perspicaciam ad eosdem cognoscendos. Perspicaciam quidem, quia vidit illum, qui noctu zizania seminavit. Latuit is servos, latuit homines cæteros, quia tune dormierant. At numquid dormiit Deus, inquit. Potest ergo fur, deceptor, impostor homines latere, non Deum.

Clementiam vero, quia semen bonum ipsem et seminavit, zizania vero non ipse eradicavit sed messoribus suo tempore eradicanda dimisit. « Considera (inquit Chrysostomus, hom. XLVIII. in Matth.) ineffabilem Christi misericordiam et quod ad benefaciendum promptus est, a desiderio autem puniendi alienus. Nam quando seminat, per seipsum id peragit, supplicia vero per alios infert: nam dicam, ait, messoribus: Alligate ea, etc. » Idem videntur reges facere, inquit Philo, in libro de Abraham, *ad imitationem naturæ divinæ, dum per seipso gratias porrigit, pœnas per alios sanciunt*.

Longanimitatem denique, dum zizania non illlico evelli jussit, sed expectavit tempus messis, ut clarius patet quænam sint zizania, quod triticum et neutri injury fieret. Sane servi patrisfamilias, (qui significant Dei servos, vel secundum Hieronymum angelos) si per ipsos stetisset, nequaquam expectassent usque ad tempus, sed inutiles herbas illlico exterminasset. Quod enim Ninivitis factum optabat Jonas, quorum judex si fuisse, protinus tulisset sententiam mortis in omnes, etiam post eorum pœnitentiam, eo quod hanc tulisset Deus ante illam. Verum non ita Deus, qui expectavit eos ad emendationem et postea mutavit sententiam. Quanto igitur clementior Deus hominibus etiam sanctis? Quanto satius configere ad Dei, quam ad hominum tribunal? Id quod vidit David, qui proposita sibi optione gladii, famis, pestis, elegit, dicens: *Melius est mihi ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiaz ejus sunt) quam in manus hominum*, II. Reg. XXIV.

V. Discimus discripen malorum et bonorum hominum. Hi enim tritico similes sunt, illi vero zizaniis: unde vulgo reprobos vocare solemus zizania. Sed quia de hoc diximus superius, statuimus nunc ante oculos amborum exemplar. Tales igitur erant Jacob et Esau, duæ quasi plantæ in eodem agro, duo fratres in eodem matris utero, ille bonus, hic malus; ille zizania, hic triticum; ac quemadmodum zizania et triticum impediunt se mutuo, despoltant succu suo et de-

trahunt ad terram, ita Esau et Jacob collidebantur in utero matris, quo significabatur fore eos duorum populorum duces, bonorum et malorum, atque inter perpetuum et implacabile bellum gesturos; siquidem boni reprehendunt malos, mali vexant bonos.

Primo, Esau fuit prior et honoratior apud homines, sed Jacob apud Deum, sic communiter in hoc saeculo reprobi excellunt bonis fortuna, genere, opibus, dignitatibus, et idcirco coluntur ab hominibus, praeferuntur ceteris, promoventur, amantur: cum interim apud Deum sint inglorii et postremi. Contrarium accidit justis, Esau diligebatur ab Isaac secundum quid, quia comedebat de venatione ejus, Genes. XXV. sed Jacob a Rebecca et Deo (Malach. I.) absolute, quia bonus erat; sic mali diliguntur a mundo, sed ob temporalia tantum commoda, boni vero absolute ab Ecclesia et Deo quia virtuosi.

Secundo, Esau servit Jacobo, major minori: sic impii licet hic videantur dominari justis, re vera tamen serviant potius, quia sua persecuzione, crucibus et tormentis fabricant eis coronas. « Quomodo mali serviunt bonis? (ait S. August. serm. LXXVIII. de temp.) quomodo persecutores martyribus, quomodo limae vel mallei auro, quomodo molae serviunt triticum, quomodo panibus coquendis fornalia, ut illi coquantur, illa consumantur, quomodo in fornace aurifacie palea servit auro, ubi sine dubio palea consumitur, aurum probatur. »

Tertio, Esau prior egressus est, sed Jacob egredientis plantam manu tenuit: ita impiorum initia prospera sunt et laeta, extrema vero luctuosa et funesta. In calcaneo enim et fine vita subjiciuntur justis, qui, ut dicitur Sapient. III. *Judicabunt nationes et dominabuntur populis.* Reprobi in planta, id est, fine vitae tentos se videbunt ligatos peccatorum vinculis, justi vero liberos.

Quarto, Esau erat totus in modum pellis hispidus, Jacob autem lenis seu glaber, Gen. XXV. et XXVII. Ita reproborum mores asperi sunt, duri ac feroci; bonorum vero lenes, humani, mansueti. Ad Esau pertinebat Nabal, qui rogatus a servis David pro comeatu, verba dedit aspera: *Quis est David? Et quis est filius Isai?* Hodie irreverunt servi, qui fugiunt dominos suos, etc. I. Reg. XXV. Ad Jacob vero mater ejus Rebecca, quae rogata ut pauxillum aquae daret ad bibendum de hydria sua, respondit: *Bibe, domine mihi quoniam et camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant,* Genes. XXIV.

Quinto, Esau factus est vir gnarus venandi et homo agricola, Gen. XXV. Hebr. vir agri, (q. d.

tantum) Jacob autem vir simplex habitans in tabernaculo, i. e. domi sua se continebat et vitæ quietæ ac culturæ animi sui vacabat, ut ibi Ca jetanus notat. Sic impii semper extra se sunt, dum terrenis bonis inhant et ad animam suam non attendunt. Contra pii a distinctionibus ad mentis secreta se restringunt et ibi quasi in tranquillitate sinu requiescent, ait S. Gregorius, libro V. moral. capite VII. Unde recte Hesiodus dixit: *Melius est esse domi, damnosum vero est foris vagari.*

Sexto, Esau vili lenticula vendidit Jacobo primogenituram, hocque damnum suum initio parvi pendit, sed ad extremum maxime sensit, doluit et flevit, cum rugitu et clamore, licet irrita paenitentia. Contra Jacob emit a fratre jus primogenituræ, quod licet primo eidem obfuisse potius quam profuisse videbatur, dum propterea in fratris odium incidit, sensit tamen postea id sibi profuisse, dum Chananaeum tenuit, quam Esau ei cesserat abiens in Idumeam, Gen. XXXVI. Ita reprobi jus adoptionis filiorum Dei et celestis hereditatis cum vilissimis bonis et saepe ex mera libidine ac euriestate (quemadmodum et Esau coctionem rufam mera cupiditate ductus emit, non necessitate, ut qui in civitate domo multa meliora habebat) commutant, juxta id Ezechie XIII. *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis ut interficerent animas: et Proverb. VI. Pretium scorti vix est unius panis; mulier autem vir pretiosum animam capit.* Ad haec damnum hoc, gravissimum licet, rident, et pro nihilo ducunt; ad extremum tamen sentient in articulo mortis (quamvis absque fructu) quam male sibi consulerint. Unde et audi ejulantes, Sapient. V. *Nos insensati, etc.* Vicissim vero pii emunt celum ab impiis quodammodo, dum eorum injurias tolerant, dum ipsis benefaciunt, dum pro ipsorum peccatis gemunt seque afflignant, dum eis terrena sua bona cedunt, uti S. Franciscus patri suo secum litiganti, jus paternæ hereditatis, etc. quod licet eis obesse potiusquam prodesse videatur, proderit tamen in fine, cum emigrandum erit.

Septimo, Esau duxit uxores alienigenas eoque facto parentes suo graviter offendit, Jacob vero duxit uxores de cognitione sua juxta votum parentum. Ita mali malos sibi associare student, ut magis noceant, in quo Deum et Ecclesiam magnopere offendunt. Dicebat Rebecca: *Tædet me vita mea propter filias Heth,* quia scilicet Esau duxerat eas in uxores: simili modo dolet Ecclesia, cum alter alterum seducit. Boni se bonis jungunt et in hoc Deum et Ecclesiam laetificant. Viderit nunc unusquisque utram sequ

partem velit, utri adhaerere fratri. Utique qui sapit, Jacobo adhaerebit, etc.

CONCIO VIII.

MYSTERIA.

I Quis parabolæ scopus. — II. Quis bonus et quis malus seminator. — III. Qui triticum. Qui zizania. — IV. Qui ager. — V. Qui dormientes. — VI. Qui servi patrifamilias. — VII. Licetne haereticos occidere. — VIII. Quomodo periculum, ne cum zizaniis eradiceatur triticum. — IX. Quid alligare in fasciculos.

THEMA.

Simile est regnum cœlorum homini, qui seminavit semen in agro suo. Matth. XIII.

Fixerunt olim poetæ (Ovid. libro VI. metamorph.) puellam quamdam nomine Arachnem arte textrina celebrem eo se extulisse, ut cum Pallade dea sapientiae et inventrice artium in certamen descendere et artificio contendere auderet. Sed cum nonnisi obscurum quemdam cœli arcum pingeret, Pallas vero deos celestes pulcherrimo artificio et suis coloribus texeret, Arachne a Pallade radio percussa, mutata est in aranearum texerat ad muscas capiendas. Depingit nobis fabula hæc certamen Luciferi cum Deo. Cum enim ei similis esse contenderet, turpissimam in cœlo telam, peccatum texuit. Unde e cœlo dejectus aerem nunc infestat et laqueis temptationum suarum homines, velut areana telis suis muscas, captat. Hoc idem est, auditores, quod audivimus in hodierno evangelio. Bonus enim sator, qui triticum seminavit, Deus est; malus vero, qui superseminavit zizania, diabolus. Quod nunc expendemus.

I. Quis est scopus hujus parabolæ? Resp. parabolam ostendere primo, Deum non esse mali auctorem, sed diabolum; unde confutantur Calvinus et Lutherus ac Melanchthon, qui peccata etiam Deo velut auctori adscripserunt. Secundo, perpetuum esse bellum et æmulationem diaboli in Christum, ut dum Christus homines bonos faciat, faciat ipse malos. Tertio, in Ecclesia semper malos fore inter bonos. Ut ita nemo miretur, si verbum Dei saepe in terram malam cederit, quod paulo ante in alia dicebatur parabola.

II. Quis homo seminator boni seminis, et quis inimicus homo, seminator mali? Resp. ipsomet Christo explicante: *Qui seminat bonum semen est Filius hominis.* Primo, quidem, cum creavit hominem perfectum. Deinde, et peculiari ratione,

cum in sterile mundum velut in agrum, rusticano sago naturæ humanæ indutus et linneo virginea carnis præcinctus se dimisit, et agrum hunc sudore, lacrymis et sanguine suo excoluit ac ligone crucis proscidit. Unde miratur Jeremias, c. XIV. *Quare quasi colonus futurus es in terra?* Cui respondet ex hodierno evangelio; quia venit seminare semen bonum, siquidem ager mundi opera diaboli pene totus repletus erat urticis et zizaniis. Christus eum proscidit et invertit, dum honorum, opum et voluptatum cupiditates sepelivit, amorem vero contemptus, paupertatis, tribulationum in lucem produxit et hominibus commendavit. Porro inimicus homo, qui seminavit zizania, est diabolus, inquit Dominus. Inimicus quidem Dei quia ab eo detrusus in infernum, Christi quia ab eo iudicandus, hominum quia invidet illis sedem et gloriam cœli, a qua ipse excidit. Homo vero dicitur, tum quia hominum ingenios et desiderios se accommodare solet, cum eos tentat, tum quia hominum opera ad sequendos homines, tamquam suis instrumentis uitetur.

Seminat hic zizania, id est, homines malos, quia ex bonis tales efficit suis consiliis, technis et persuasionibus. Laborat Christus, ut faciat homines triticum, laborat dæmon ut faciat eos zizania.

III. Qui sunt semen bonum seu triticum, qui zizania? Respondet Christus: *Bonum semen hi sunt filii regni, zizania autem filii sunt nequam.* Boni seu filii regni, id est, haeredes cœli, semen bonum et triticum vocantur, quia hic fructus bonos faciunt et creseunt in virtutibus, ut tandem panis mundus et candidus fiant Deo bene placens. Unde S. Ignatius dicebat: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar ut panis mundus inveniar.* Secundo, quia in mundo seminis instar crescere et maturescere, interim tamen multis agitari tempestibus debent.

Zizania vocantur filii nequam. Primo, quia ut illa succum pene omnem ad se trahunt et suffocant vicinum semen bonum, ita et mali in mundo omnia pene commoda ad se rapiunt, bonisque abstrahunt. Secundo, quia ut zizania variorum colorum flores sunt, qui pueris quidem placent, sed displicant agricolis, quia farinam nigram prebent et inutilem; ita qui habore, vestitu et opibus florent, mundo quidem placent, sed non item Deo. Tertio, quia ut zizania in pabulum brutorum tantum cedunt, sic mali in escam dæmonum: *Mors depascet eos, et semper in æternum ruminabit.* In specie vero tales sunt haereticis secundum Augustinum et alios. Primo, quia post bonum semen, id est, post catholicos pri-